UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sermones prestantissimi viri Ro||berti de Litio: ordinis Minoru[m] sacre theologie professo||ris: pontificis Aquinatis

Caracciolo, Roberto

Lugd., Anno d[omi]ni. M.cccccxiij. vi. no.Maij.

Feria tertia: de sup[er]bie vitio. Ser. xxxiij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70607

Visual Library

veritatis preceptis vel in ipa veritate
errare. Et idē magiſter inducit ī textu
xxv. di. ſecundi libri. Peccatū eſt dictū
vel factum vel cōcupitū cōtra legē dei.
Et Amb. lib. de paradiſo. Peccatuꝫ eſt
preuaricatio legis diuine ⁊ celeſtiū in-
obediētia mādatoꝝ. Si ergo diſplicet
patri vt filiꝰ eiꝰ ſua p̄cepta recuſet: et
paruipēdat: ſic cuiqꝫ hoī mortali in ali
qua ſuperioritate cōſtituto graue eſt a
ſuis ſubditis deſpici atqꝫ cōtēni: quā-
to magis abominabile eſt excelſo celoꝝ
regi ſi peccādo homīes eiuſqꝫ mādata
violando maieſtati ſue iniuriā faciāt.
O pctōres excecati cognoſcite vias ve
ſtras. Cognoſcite errores merite dāna
tionis. Quotienſcūqꝫ pctīs mortaliter
deū oīpotētē vilipenditis. ¶ Scđo pec
catū diſplicet deo ratione derelictiōis
qꝛ quotienſcunqꝫ quis mortalr̄ peccat
derelinquit ipm q̄ eſt ſummū bonū: ve-
rū bonū: deſiderabile bonum: durabile
bonū: inquā quo ſolo aīa repleri pōt ⁊
ſatiari: ꝑ bono vili: pro bono momēta
neo: pro bono tēporali: pro bono quod
ſine deo nullꝫ bonū eſt. Ut em̄ inquit
Aug. in lib. de libero arbitrio. Pecca-
tum eſt ſpreto incōmutabili bono bo-
nis cōmutabilibus adherere. Hinc per
Hiere. ij. c. de peccatoribus deus conq̄
ritur dicēs: Me dereliquerunt fontem
aque viue ⁊ foderūt ſibi ciſternas diſſi
patas q̄ cōtinere nō valent aq̄s. Fons
aque viue dicitur ipe deus: qꝛ in eo eſt
omnis boni ideficiēs plenitudo. Hinc
Aug. iiij. lib. confeſ. ait: Redite preuari
catores ad cor: ⁊ inherete ei q̄ fecit vos:
ſtate in eo ⁊ ſtabitis: quieſcite in eo et
quieti eritis: bonum qđ queritis ab il-
lo eſt. Ciſterne aūt diſſipate vocanť hu
ius ſeculi bona q̄ abſqꝫ deo nihil ſunt.
Ideo Aug. ix. ꝯfeſ. dicebat: Oīs copia
que deus meꝰ non eſt egeſtas mihi eſt.
Diſpliceret vtiqꝫ cuicūqꝫ formoſe puel
le ſi ſponſus ſuus ea derelicta turpiſſi-
me meretricule adhereret. Turbaretur
quilibet magnus dn̄s gratioſus ⁊ libe
ralis ſi eius famuli eo ſpreto ſeruirent
alicui dn̄o pauperi parciſſimo et aua-
riſſimo. Quāto magis indignari debet
deꝰ infinitū bonū cū a nobis deſeritur
propter ſupbū diabolū: aut corruptibi
lem carnē vel trāſitoriū ac labilē mun
dꝫ. ¶ Tertio pctm̄ diſplicet deo rōne
ꝓuocationis. Per illud vtiqꝫ ꝓuocať
⁊ inducit ad indignationē ⁊ irā. Totꝰ
ſuauis ⁊ dulcis eſt pius clemēs ⁊ miſe
ricors atqꝫ benignus ⁊ ꝓpriū eius eſt
miſereri: tn̄ iraſcit: indignať ⁊ quaſi co
gitur vt reos dānet quos voluiſſet ſal-
uare. Cur dānauit Cayn? propter pec-
catū. Cur iudā? propter peccatuꝫ. Cur
oēs illos q̄ in iudicio cū diabolo iudi-
cabūtur eternis ignibꝰ cruciādi? ꝓpter
peccatum. O ſumma ⁊ infinita pietas
dei. Ubi eſt dulcedo tua? Cur tā durus
atqꝫ ſeuerus efficieris hoībꝰ quos con
didiſti? Reuera ſi pctā non eſſent deus
nunq̄ cōmoueret furore. Cū ergo tāta
ſit in pctō iniq̄tas tātūqꝫ periculū: me
rito illud cuncti fugere ⁊ abhorrere: vt
ſic liberenť a morte dānationis eterne
⁊ perueniāt in regnū beate vite: in quo
viuit et regnat deus per eterna ſecula
ſeculorum. Amen.

¶ Feria. iij. poſt Reminiſcere: de ſup-
bia quā xp̄s verbo ⁊ exēplo docuit cō-
temnandam. Sermo. xxxiij.

Qui autē ſe ex-
altauerit humiliabiť: et
qui ſe hūiliauerit exal-
tabiť. Uerba ſunt redē-
ptoris nr̄i Mat. xxiij. et
in euāgelio hodierno. Dn̄s ⁊ ſaluator
noſter p̄cipuus hūilitatis cultor: diſci-
pulos ſuos ⁊ nos oēs ꝑſepe monuit: tā
verbo q̄ꝫ exēplo euitare ſupbiā. In pre
ſenti ꝫo euāgelio deteſtatꝰ eſt ſcribas ⁊
phariſeos: eo q̄ꝫ ad nihil aliud vacabāt
niſi vt in ceteros ſupbirēt. Nō timebāt
deū: deſpiciebāt ꝓximos ⁊ reputabant
ſeipos. Querebantqꝫ ꝑuerſe ⁊ inordi-
nate ꝓpriā excellētiā. Et vt inq̄t Aug.
xiiij. de ciui. dei. c. xiij. Quid eſt aliud ſu
perbia niſi ꝑuerſe celſitudinis appeti-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tus? Perverſa enī eſt celſitudo deſerto eo cui debet anim⁹ inherere pncipio ſibi quodāmō fieri atqꝫ eſſe pncipium. Propterea ipſi pharisei ⁊ ſcribe arguebant a xpo ⁊ eoꝝ opa ɔdēnabant. Nos ꝯo ſi ad pnīam redire q̄rimus: a ſuperbia diſcedere debemus: q: nō pōt cum illa dei gratia inueniri. Eapropter in preſenti ſermone de ipa ſupbia vitioꝝ oīa venenoſa regina aliqua percurremus de qua modo noſtro tria myſteria proponemus declaranda.

Primū dr diuina odiatio.
Secūdum ſpecificatio.
Tertium diſtinctio.

¶ Qualr deus pp̄ter odiū ſupbie angelos malos eiecit de padiſo: ⁊ p ſcripturas odiū ei⁹ pdicat: ⁊ qualr cōminatur ſupbis: ⁊ quō iſtos hūiliauit. Capl'ꝫ. j.

PRimū myſteriū declarandū de ſupbia dr diuina odiatio In quo ɔſiderādū eſt q̄ grauc ſit ſupbie vitium ex odio quod deus habet ad illud. Qd̄ quidē colligi pōt ex quattuor.

Primo ex angeloꝝ deiectione.
Scd̄o ex ſcripture teſtificatione.
Tertio ex multiplici cōminatione.
Quarto ex ſuperboꝝ humiliatione.

¶ Primo colligit odiuꝫ dei ad ſupbos ex angeloꝝ deiectione. Deiecit q̄dē de⁹ ⁊ expulit angelos malos a celo empyreo: in quo ɔſiderat eos egregios: ſublimes ac nobiliſſimos ſpūs. Propterea dr Eſa. xiiij. ipſi lucifero. Quō cecidiſti de celo lucifer q̄ mane oriebaris? corruiſti in terrā q̄ vulnerabas gētes: q̄ dicebas in corde tuo. In celū ɔſcendā: ſup aſtra dei exaltabo ſoliū meū: ſedebo in mōte teſtamēti in laterib⁹ aquilonis. Aſcēdā ſup altitudinē nubiū: ſilis ero altiſſimo. Verūtamē ad infernū detraheris in pfundū laci. Et licꝫ aliq̄ exponāt hāc autoritatē ad lrām de rege babylonis: tn̄ vt dicit Nicol'. pōt intelligi de lucifero q̄ videt lucifer. i. pulchrior inter angelos ſic lucifer q̄ eſt ſtella matutina inter ſtellas. Ideo alio noīe vocatur venus a venuſtate. Et hoc Greg'. de peni. diſ. ij. c. principiū. de lucifero ait: Hunc primū ɔdidit quē reliq̄s angelis eminētiorē fecit. Hui⁹ primatus eminētiā ɔſpicit pp̄ha cū dicit: Cedri nō fuerūt altiores illo in paradiſo dei: abietes nō adequauerūt ſummitatem eius: platani nō fuerūt equales frōdibus illi⁹. Oē lignum p̄cioſum paradiſi dei nō eſt aſſimilatū ei ⁊ pulchritudini eius: q̄m ſpecioſum fecit euꝫ in multis cōdenſis frondibus. Quid nāqꝫ accipi in cedris abietibus ⁊ platanis pōt niſi illa virtutū celeſtiū pcere celſitudinis agmina in eterne leticie viriditate plātata: q̄ q̄uis excelſa ſint ɔdita: huic tn̄ nec plata ſunt nec equata. hec ille. Oriebatur mane hic lucifer: q: inter creationem eius q̄ vocatur hic ortus: et lapſum fuit modicū tp̄s: ⁊ corruit in terrā: q: piectus fuit in hoc aere caliginoſo. Vulnerabat gētes. i. alios angelos quibus ipſe fuit occaſio cadēdi. Angeli enī frequēter apparuerunt boni ⁊ mali in ſpecie humana: ⁊ ideo noīe gētiuꝫ ⁊ hoīm noīant. ſicut Act'. j. de duobus ſctis angelis dr: Ecce duo viri aſtiterūt iuxta illos in veſtib⁹ albis. Et de diabolo dicit ſaluator Mat. xiij. Inimic⁹ hō ſupſeminauit zizania. Proiect⁹ fuit lucifer in terrā. i. in hūc aerē caliginoſuꝫ: qui ſuperbiēdo aſcēdere volebat ſupra aſtra celi. i. ſup alios angelos: ⁊ ſedere in monte teſtamenti. i. in celo empyreo vel ſup eccliam que dr mons: in lateribus aq̄lonis. i. in cordib⁹ frigidis. De ipo inſup Aug. xj. ſup Gen. ad lrām inquit: Factus ɔtinuo ſe a luce veritatis auertit: ſupbia tumid⁹ ⁊ pp̄rie ptātis delectatione corrupt⁹. Dicit tn̄ Bon. in ij. di. v. q̄ pctm̄ luciferi inchoatū eſt in preſumptione. Statim enī vt ſuā pulchritudinē vidit p̄ſumpſit. Cōſummatū eſt in ambitiōe: q: p̄ſumēs de ſe appetijt qd̄ oīno ſupra ſe fuit: ⁊ ad qd̄ peruenire nō potuit. Tertio ɔſummatum fuit in inuidie ⁊ odij auerſione: q: eq̄ obtinere nō potuit qd̄ appetijt: deo ina

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nidere cepit τ affectū odij ꝯhere. Et qm̄
dr̄ in autoritate ꝑallegata Eſa. ꝙ appe
tijt deo eſſe ſil'is. diſtinguit Bon̄. dupli
cē ſil'itudinem. Prima dr̄ equalitatis.
Scd̄a imitationis. Sil'itudo imitatio
nis pōt appeti ordinate τ inordinate.
Ordinate: vt appetat̄ ſil'itudo in his q̄
nr̄e ſunt aptitudinis τ nr̄i dei accepta-
tiōis: cuiuſmodi ſunt pfectiōes τ deco
res virtutū. Inordinate vō vt hō appe
tat id qđ decet vel deo nr̄o non placet:
vt ſi appetat hoībus ꝑeſſe: vel ſe de ad
uerſarijs vindicare. Sil'itudo equalita
tis nullo modo pōt appeti ordinate: ſꝫ
inordinate aliquo modo eſt appetibi-
lis: aliquo modo nō. Nā oīmoda ſil'itu
do nō eſt appetibilis: q2 nō pōt cadere
in cognitionē ſiue i intellectū: τ iō nec
in appetitū. Et ſi aliqs fingat nō appe
tit equalitatē: ſed ſuā fictionē. Alio mō
eſt ſil'itudo equalitatis i aliqua ꝯditio
ne: vt in diuina ꝓuidentia et ſciētia. Et
ſic credo ꝙ pōt appeti. ¶ Notādū ergo
ꝙ diabolus quodāmō appetijt ſil'itu-
dinē imitatiōis: quodāmō equalitat̄ꝫ.
Et hoc apparet ſi attēdat̄ appetibile τ
modus appetēdi. Diabolus em̄ appe-
tijt alijs ꝑeſſe ſua tm̄ autoritate: ꝙ ap-
petijt ꝑeſſe: hoc fuit imitatiōis. Et hoc
qđē aliqn̄ obtinuiſſet ſi ſtetiſſet. Unde
Anſel. in lib. de caſu diaboli ait: Nihil
appetijt ad qđ nō ꝑueniſſet. Qđ autē
appetijt ſic ꝑeſſe ꝓpria autoritate ſine
meritꝫ τ ſine datore: τ ita ꝙ nulli ſubeſ-
ſet: hoc eſt ſoli9 dei: τ hoc eſt eqꝑarātie.
Dicit ḡ Greg. ꝙ appetijt eſſe ſui iuris:
ita ꝙ nulli ſubeſſet. Et Bern̄. dic̄ ꝙ ap-
petijt equalitatē potentie. Et Anſel. ꝙ
appetijt ꝑeſſe ſine meritis. Qui in ſnīa
idē dicūt. ſ. ꝙ voluit oīb9 ꝑeſſe propria
autoritate. Angeli etiā minores pecca-
uerunt pctō ſuperbie adherētes lucife
ro: qrētes eſſe beati ſine meritis. Pro-
pterea dicit Hugo de ſancto Uic. Oēs
in eādē maliciā conſenſerūt: τ vnū ordi
nē peruerſe ſocietatis fecerunt. Tūc vt
ait Joh. Apoca. xij. Factū eſt ꝑliū ma-
gnū in celo: Michael τ angeli ei9 ꝑlia-
bantur cū dracone: et draco pugnabat
τ angeli ei9: τ nō valuerūt: neqꝫ locus
inuētus eſt eoꝝ amplius in celo. Et ꝓ-
iectus eſt draco ille magnus ſerpēs an
tiquus qui vocatur diabolus: τ ſatha-
nas qui ſeducit vniuerſum orbē: τ ꝓie
ctus eſt in terrā et angeli ei9 miſſi ſunt
cum eo. Prelium autē illud geſtuꝫ fuit
iuxta tria que in ſpirituali natura repe
riunt̄: q̄ ſunt rō: facultas: et volūtas.
Per rationem nempe electi et reprobi
angeli cōtraria ſentiebāt. Per volūta-
tem ad cōtraria afficiebant̄. Per facul
tatem vō ad ꝯtraria nitebant̄. Nā ele-
cti angeli ſublimiter ſentiebāt de deo τ
gratia eius: τ ad gratiā τ gloriam affi-
ciebant̄: τ ꝓ facultate ſibi data ꝓ illis
nitebant̄. Angeli vō ſupbientes et con
tēnentes gratiam τ gloriā dei ſublimi-
ter ſentiebant de bonitate nature ſue:
τ ꝓpter hoc ad ꝓpriā gloriā afficiebā
tur: τ toto niſu in ꝯtrariū electis ſpiri-
tib9 ferebant̄. O ſeuiſſima dei iuſticia:
o rectiſſimum eius iudiciū: o ſapiētiſſi
ma diſpoſitio. Tam eroſa fuit maieſta-
ti eius malorum angeloꝝ ſuperbia τ a
celo empyreo ſemel depulſos nūq̄ am
plius ibidē ſinat eos redire. Quinimo
vt diximus in ſermone de iuſticia dei
dānauit eos eternaliter per ſentētiam
diffinitiuam. Unde Hugo in li. de ani
ma. Superbia in celo nata eſt ſꝫ velut
immemor qua via inde cecidit illuc po
ſtea redire nō potuit. ¶ Secūdo colli-
gitur odium dei ad ſuperbiā ex ſcriptu
rarum teſtificatione. Scribitur nanqꝫ
Amos. vj. Dicit dominus exercituum:
deteſtor ego ſuperbiā. Et Prouer. viij.
Arrogantiam τ ſuperbiam τ viam pra
uā: τ os bilingue ego deteſtor. Et Eccl
x. Odibilis eſt coram deo τ hominibus
ſuperbia. Et Jaco. iiij. c. De9 ſuperbis
reſiſtit: humilibus autem dat gratiam
ſuam. ¶ Tertio colligitur odiuꝫ dei ad
ſuperbiam ex multiplici cōminatione.
Fiunt nāqꝫ in ſcriptura cōminationes
plurime cōtra ſuperbos. Unde Eſa. ij.
Oculi ſublimi hoīs humiliati ſunt: τ

incuruabitur altitudo viroꝝ. Exaltabiť aūt dn̄s ſolus in die illa: qꝛ dies dn̄i exercituū ſupꝫ oēm ſuperbū ⁊ excelſum: et ſupꝫ oēm arrogantiā ⁊ humiliabitur. et xiij. c. Requieſcere faciā ſuperbiam infidelium ⁊ arrogantiā fortiū humiliabo. Et idē. xxiij. c. Dn̄s exercituū cogitauit hoc vt diſtraheret ſuperbiā oīs glorie et ad ignominiam deduceret vniuerſos inclytos terre. ⁊ idē. xxviij. c. Ue corone ſuperbie. Et ibidē. Pedib⁹ cōculcabiť corona ſupꝫbie. ⁊ pš. xvij. Oculos ſuperborū humiliabis. Et ſapiēs Ecci. iij. Synagoge ſupꝫboꝝ nō erit ſanitas. Et Malachie. iiij. Erūt ſupꝫbi ⁊ oēs faciētes iniquitatē ſtipula. ⁊ Oſee. vij. Humiliabiť ſupꝫbia iſrael. ⁊ Ezech. vij. Quieſcere faciam ſuperbiā potentū. ⁊ Hiere. l. Ecce ego ad te ſupꝫbe dicit dn̄s de⁹ exercituū: qꝛ veniet dies tuus tēpus viſitationis tue: ⁊ cadet ſuperbus ⁊ corruet ⁊ nō eſt qui ſuſcitet eū. ⁊ Abdie. j. Superbia cordis tui extulit te habitantē in ſciſſuris petrarū: exaltantē ſoliū tuū qui dicis in corde tuo. Quis detrahet me in terram. Si exaltatus fueris vt aquila: ⁊ ſi inter ſidera poſueris nidū tuū: inde detrabam te dicit dn̄s. O ſuperbi ⁊ inflati corde q̄ cōfidetis in diuitijs: in delitijs: ⁊ in robore veſtro: ceteriſqꝫ tēporib⁹ bonis dicere cōſueuiſtis. Et q̄s nocebit nobis. Audite ſcripturarū voces reſpondentes. Deus inuincibilis: deus inſuperabilis: deus ſuperborum inimicus. de quo dicitur in pš. xxx. Retribuet abundanter faciētibus ſuperbiam. Ipſe eſt etiā qui per Eſa. xlvij. c. ſuperbā ciuitatem alloquiť dicēs: Audi hec delicata ⁊ habitans confidēter: que dicis in corde tuo: ego ſum ⁊ non preter me amplius. Non ſedebo vidua ⁊ ignorabo ſterilitatem. Uenient tibi hec duo ſubito in die vna: ſterilitas ⁊ viduitas. Uniuerſa venerūt ſuper te propter multitudinē maleficiorū tuoꝝ ⁊c. ¶ Quarto colligitur odium dei ad ſuperbiā ex ſuperboꝝ hominū humiliatione. de quib⁹ dixit virgo glorioſiſſima in cātico ſuo Luce. ij. Depoſuit potētes de ſede: et exaltauit humiles. Et hoc confirmat ſapiēs Ecci. x. Initiū ſupꝫbie hoīs eſt apoſtatare a deo q̄m ab eo q̄ fecit illū receſſit cor eius: q̄m initiū oīs peccati eſt ſuperbia. Qui tenuerit illā adimplebitur maledictis: et ſubuertet eū in finē. Propterea exhonorauit dn̄s cōuentū maloꝝ: ⁊ deſtruxit eos vſqꝫ in finē. Sedes ducū ſuperboꝝ deſtruxit deus et ſedere fecit mites ꝓ eis. Radices gentiū ſuperbarū areſecit deus ⁊ plantauit humiles ex ipſis gentibus. Patet hoc in primis parētibus ſupꝫbis qui de paradiſo fuerūt eiecti propter ſuperbiā: vt dꝛ Gene. iij. c. In gigātibus q̄ perierunt in diluuio ꝓpter ſuperbiam. Gen̄. vij. In filijs filioꝝ Noe volētibus edificare turrim que ꝑtingeret vſqꝫ ad celū q̄ cōfuſi ſunt vt nō intelligeret vnꝰ alterū ⁊ diſperſum eſt atqꝫ cōfuſum labium eoꝝ. Gen̄. xj. In pharaone qui ſuperbe detinebat populum dei ⁊ indurauit cor eius: ⁊ ſubmerſus eſt in mari rubro. Exod. xiiij. In Sennacherib q̄ deū blaſphemat poſtq̄ ab angelo oīs eius exercitus fuit interēptus. clxxxv. milia bellatoꝝ: et ipſe a filijs iudicio dei percuſſus eſt gladio ⁊ interfectus. iiij. Regum. xix. In Nabuchodonoſor q̄ elatus in ſuperbiā cū deambularet in aula dixit. Nōne eſt hec babylon magna quā ego edificaui in domū regni in robore fortitudinis mee et in gloria decoris mei. Qui eiectus a regno ſeptē annis diſcurrēdo per nemora et prata: fenum quaſi bos comedebat: mutat⁹ eſt quaſi in beſtiam. Daniel. iiij. Quid dicā de Antiocho? quid de Herode agrippa? quid de Herode aſcalonita? Quid de oībus qui ſuperbe regnauerūt: aut in regno aſſyrioꝝ ſiue babylonioꝝ: aut in regno perſarum ⁊ medoꝝ: aut in regno grecorū: aut in regno egyptioꝝ: aut in regno ſicyonorū: aut in regno athenienſiū: aut in regno iudeoꝝ vel ſimilium. Nōne diuina virtus debellauit eos ⁊ redegit ad nihilū. Perijt (inq̄t pš.) memoria eorū cū ſonitu: et dn̄s in eternum permanet.

pſ.ix. An omittēdi ſunt romani de qui-
bus dicit Auguſti. lib.j.de ciui.dei. c.j.
Hoc vō qđ dei eſt ſupbe quoq; aīe ſpi-
ritus inflat⁹ affectat amatq; ſibi in lau
dibus dici. Parcere ſubiectis ⁊ debella
re ſupbos. Ubi nūc latum totius orbis
dominiū? Ubi legiones ⁊ exercitus vi-
ctorioſiſſimi? Ubi legati et nūcij pacem
petētes ⁊ veniētes a finibus terre? Ubi
oratores ſolēnes auri ⁊ argēti tam mul
ta pōdera pro tributo ferētes? Ubi ſena
tores ⁊ patres cōſcripti? Ubi ciues ho-
neſti? Ubi triūphales arcus ⁊ iocūdi lu
di? Ubi alta palatia ⁊ edificia mirāda?
Ubi deorū tēpla tam miro artificio et
ſapienti diſpoſitione conſtructa. Tritū
vſitatūq; eſt prouerbiū: Roma quanta
fuit ipſa ruina docet. O humana infir-
mitas. O cōditio fragilis hominū: non
eſt iuſtū nō equū ſuperbire cōtra deum
qm̄ non eſt q̄ poſſit ei⁹ poteſtati reſiſte-
re. Ipſe romanos domuit qui totū or-
bē vi ⁊ armis ac terrore ſubmergerant.
Fugiēda eſt ergo ſupbia quā deus tam
fortiter execrat. De qua Caſſiodor⁹ ſup
pſ.xviij. ait: Superbia de angelo dia-
bolum fecit ⁊ homini mortē intulit ⁊ cō
ceſſa beatitudine vacuauit oīm malorū
mater: ſcelerū fons: vena nequicie.

¶ Or ſuperbia diuidit in quattuor ſpe-
cies: ſcʒ cū quis credit bonum qđ habet
habere a ſe: vel a deo proprijs meritis:
vel habere qđ nō hʒ: vel ꝓpter bonum
qđ habet ceteros ſpernit. Capm.ij.

Secundum myſterium decla
rādum de ſuperbia dicitur
ſpecificatio. In quo notāde
ſunt ſuperbie ſpecies. Has
autē Grego. in moral. quat-
tuor eſſe dicit:

Prima cum quis exiſtimat bonū qđ
habet a ſeipſo habere.

Secūda cum quis bonum qđ habet
a deo aſcribit meritis proprijs.

Tertia cum quis iactat ſe habere bo
num qđ non habet.

Quarta cū quis ceteris deſpectis ſin
gulariter vult videri.

¶ Prima ſpecies ſupbie eſt cū q̄s ex or-
dinato appetitu ꝓprie excellētie bonuʒ
habitū vt ingeniū: intellectū: memoriā
fortitudineʒ: corporis pulchritudinem
Uel bonū tēporale vt diuitias gloriam
honorē: potentiam. Uel bonū ſpūale vt
gratiā: ſcientiā: ſapientiā: predicationē:
prophetiā: ⁊ hmōi ſibi attribuit vel a ſe
habere nō aūt a deo. Notandum tn̄ pri
mo ſm Tho. ij.ij.q.clxij. ꝙ eſtimatio ra
tionis exiſtimat vniuerſale bonū qđ hʒ
nō habere a deo: ſed a ſeipo. Et hoc per-
tinet ad infidelitatē: cū recta fides ha-
beat ꝙ deus eſt autor omniū bonorum.
Scđo corrūpitur eſtimatio rationis in
particulari ꝓpter aliquā paſſionē: ſicut
vbi gratia. Si aliq̄s ſentiret in vniuer-
ſali fornicationē nō eſſe pctm̄ eſſet infi-
delis. Nō aūt infidelis cēſetur fornica-
tor qui fornicationē elegit tanq̄ bonuʒ
ꝓpter cōcupiſcētie paſſionē. Ita a ſimi-
li ſi quis exiſtimaret vniuerſaliter ⁊ ab-
ſolute deū nō eſſe omniuʒ creatorē eſſet
hereſis vel infidelitatis peccatum. Sed
ꝙ aliq̄s propter inordinatū amorē pro-
prie excellētie ita de bonis ſuis gloriet
ac ſi ea a ſeipſo haberet pertinet ad ſu-
perbiam nō ad infidelitatē. Contra ta-
les ſic ſuperbientes dicit apl's. j. Cor.
iiij.c. Quid habes qđ non accepiſti? Si
autē accepiſti quid gloriaris quaſi non
acceperis? Et Jacobi. j. Om̄e datū opti-
mum ⁊ om̄e donū perfectū deſurſuʒ eſt.
Et. j. Paralipomenō. xxix. Tua ſunt oīa
et que de manu tua accepimus dedim⁹
tibi. ¶ Scđa ſpecies ſuperbie eſt cū q̄s
bonum qđ habet aſcribit ſibi et ꝓprijs
meritis: credēdo aliquā excellentiaʒ eſſe
in natura vel gratia vel fortuna. i. tēpo
ralibus ſuis meritis ⁊ vtute: ꝓ quibus
videt ſupbo ꝙ de⁹ ſibi ſit obligat⁹. Cō-
tra quos eſt dictum apli ad Titū. iij.c.
Nō ex operib⁹ iuſticie que fecimus nos:
ſed ſm ſuā miſericordiā ſaluos nos fe-
cit. ¶ Tertia ſpecies ſupbie eſt cū q̄s ia-
ctat ſe hr̄e bonū qđ nō hʒ: vt aptū inge-
niū: capacē memoriā: induſtriā in agen
dis: prudētiaʒ in regimine: pulchritudi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nem in pſona: ſciētia in mēte: vel perfe-
ctionē in vita: ⁊ ſimilia. de quib⁹ ꝗs glo
riatur: cū tñ illa nō habeat vel nō tātū
ſicut exiſtimat ſe habere. Et hec exiſti-
matio ſatis periculoſa eſt i his ꝗ ſe ſan-
ctos reputāt ꝑpter bonoꝝ operū expe
rientiā ⁊ in ſua ſanctitate cōfidūt eo ꝙ
de facili ruūt: ſicut patet in Petro ꝗ di-
cebat in ſeipſo cofidēs Matth. xxvj. Et
ſi oportuerit me mori tecū non te nega-
bo. Sup quo ỽbo Amb. ait: Si Petr⁹
lapſus eſt ꝗ dixerat. Et ſi oēs ſcādaliza-
ti fuerint in te ſed non ego: ꝗs alius de
ſe iure pſumat. Deniqꝫ ⁊ Dauid ꝗ dixit
pſ. xxix. Ego aūt dixi in abūdantia mea
nō mouebor in eternū: eam ſibi iactan-
tiam obfuiſſe cōfitetur dicens: ibidem.
Auertiſti faciē tuā a me ⁊ fact⁹ ſum con
turbatus. Que ỽba notantur. vj. q. j. c.
imitare. Ad hāc ſpeciē ſupbie ptinet ex-
cuſare ſuos defectus et alleuiare illos.
¶ Quarta ſpecies ſupbie eſt cū ꝗs cete-
ris deſpectis ſingulariter vult videri.
In hāc ruit phariſeus ꝗ ſeipſum iuſtifi
cabat ⁊ dānabat publicanū: et ceteros
pctōres Luce. xviij. c. dicebat em̄: Deus
grās tibi ago: qꝛ nō ſum ſicut ceteri ho-
mines: adulteri: raptores: iniuſti: velut
etiā hic publican⁹. Ieiuno bis in ſabba
to: decimas do oium que poſſideo. Hac
ſuperbia periclitant quaſi tꝑibus iſtis
oēs qui ſe credūt bene viuere quoꝝ offi
cium eſt cōplacere mūdo: iudicare proxi
mos: detrahere ceteris: magnificare ſe-
ipſos mēdacia loqui: odia retinere: ⁊ ia
ctāter ſe noīare bonos: reliquos appel-
lare malos: de quib⁹ expreſſius dicetur
in ſequēti tertio myſterio.

¶ De ſupbia plaToꝝ: clericoꝝ: religioſo
rū ⁊ laicorū qualiter vnuſquiſqꝫ in ſuo
gradu ſupbus exiſtit. Capm. iij.

Ertiū myſteriū contemplan
dū de ſuperbia ẽ diſtinctio.
Poſſumus enim ſm varios
hominū gradus diſtinguere
quadruplicem ſuperbiā.

Prima eſt prelatorum.
Secunda religioſorum.
Tertia clericorum.
Quarta laicorum.

¶ Prima eſt ſupbia prelatoꝝ ꝗ in qua
tuor ſuperbiunt. Primo in hoc ꝙ exiſti
māt ſe meritis ſuis dignitatē plationis
fuiſſe adeptos ſubditis ſuis meliores ſe
eſſe arbitrant. Vñ Grego. xxxiij. mora
liū ait: Prelato in cogitationib⁹ ſupbia
ſe ingerit: qꝛ ſolo vite merito ſuper cete
ros excreuit. Sed quātūcūqꝫ ꝗs ſit cer
tus ꝙ de volūtate dei ſit prepoſit⁹ alijs
⁊ videat bene adminiſtrare: nūꝗ tñ po
teſt eſſe ſecurus ſi debitū ſuū faciat: nec
alijs debet ſe preferre. Quotidie namqꝫ
cōtingit multos ſubditos meliores eſſe
platis ſimpliciter. Nec ſanctiorē dicim⁹
Sixtū Laurētio: qꝛ Sixtus papa. Lau
rētius ſubditus ei⁹: aut perfectiorē Va
lerium epm Vincētio eius diacono. Et
ꝗuis aplſ dicat Rom̄. xiij. Nō eſt ptās
niſi a deo. ſ. operante quoad bonos: tñ
pōt eſſe a deo ſinēte ⁊ pmittente quoad
malos. vnde. viij. q. j. c. audacter. Dicit
ait: Audacter fortaſſe aliquid dicimus:
Sed tñ qđ ſcriptū eſt dicimus: nō ſem
per princeps populo: et iudex eccleſie ꝑ
dei arbitriū datur: ſed ꝓut merita no
ſtra depoſcūt. Scđo ſupbiunt plati qꝛ
tanꝗ eſſent dij volūt in oib⁹ etiā indo
bitis reuerētiā ⁊ obedientiā ſibi exhibe
ri: magiſqꝫ dolēt de inobediētia ⁊ irre
uerētia ſibi facta ꝗꝫ de trāſgreſſiōe pre
ceptoꝝ dei. Tales multa ſeueritate vtū
tur erga ſubditos illos ꝓ leuib⁹ cauſis
excōicando: et alijs cenſuris eccleſiaſticis
compeſcēdo. Pro ꝗbus d. xlv. diſt. in c.
vera iuſticia. Vera iuſticia cōpaſſionē
habet: falſa ỽo dedignationē. Ideo hi
qui de falſa iuſticia ſuperbire ſolēt cete
ros quoſqꝫ deſpiciūt nulla infirmātibꝰ
miſericordia cōdeſcēdūt. Tertio ſuper
biunt prelati: qꝛ ſunt ſui capitioſi ⁊ dedi
gnātur audire ab alijs que ipſi neſciūt:
vel ſequi cōſilia alioꝝ: ne minus eis ſa
pere videātur. Cōtra quos eſt illud qđ
ſcribit. xxij. di. c. de conſtātinopolitana
Stultus eſt em̄ ꝗ adeo ſe primū exiſti
mat: vt bona ꝗ viderit diſcere cōtēnat

Et.xxviij.diſt.c.nullus eps.ď:Nullus
eps propter opprobrium ſenectutis vel
nobilitatē generis a paruulis vel mini
mis eruditis: ſi quid forte eſt vtilitatis
aut ſalutis inquirere negligat. Quar⸗
to ſuperbiūt prelati eo ꝙ nō patiuntur
reprehēdi ab alijs in his q̄ minus bene⸗
faciūt. Nō ſic egit Petrꝰ princeps apo⸗
ſtoloꝝ:q̄ reprehēſus a Paulo de nimia
cōdeſcēſione erga iudeos in cōſeruatio⸗
ne legaliū eū audiuit: vt ď ad Gal.ij.c.
¶ Scđa eſt ſupbia religioſoꝝ qui qua⸗
drupliciter peccāt. Primo q: deſpiciūt
ſeculares ⁊ pctōres credētes ſe inquina
ri ex eoꝝ cōſortio:ſimiles iudeis de qui⸗
bus ď: Johā.xviij. ꝙ nolebant introire
in pretoriū vt nō cōtaminarentur:timē
tes coinquinari cohabitatione infide⸗
lium:neqꝫ ſibi cōſcientiā faciētes:de mor
te xpi ꝓcurata. Cōtra quos dicit deus
Deut.xxiij. Nō abominaberis egyptiū:
q: ⁊ ipſe aduena fuiſti in terra eiꝰ. Egy
ptus interpretat̄ tenebre ⁊ ſignat ſecu⸗
lares. Ad qđ etiā facit illud Hiero. xlv.
diſt. in.c.recedite. Recedite. ſ.inquiunt q̇
preſumunt de ſua bonitate ad pctōres
polluti:recedite a nobis:nolite nos tā⸗
gere:nolite nobiſcū cōicare. Talis locu⸗
tio nō illuminat cecū:nō ſanat egrotū:
non curat infirmum: ſed magis occidit
atqꝫ in deſperationē periclitantē indu⸗
cit. Debēt qꝫ religioſi cōſiderare ꝙ ali⸗
quādo in ſeculo ſunt aliqui deo magis
grati ꝙ̄ aliqui in religione. Et hoc legi⸗
tur in vitis patrū de beato Pānutio:q̄
cū oraret ſibi reuelari cui aſſimilaretur
in merito: audiuit a dn̄o ꝙ ſimilis erat
cuidā ſymphoniaco q̇ querebat ſibi vi⸗
ctum ex arte cātādi. Quē cū queſiuiſſet
Pānutiꝰ et inueniſſet: interrogauit q̇d
boni egiſſet in mūdo iſto: Reſpōdit ꝙ
ſemel cū eſſet latro:⁊ quedā mulier fuiſ⸗
ſet rapta quā ſocij eiꝰ volebāt opprime⸗
re ipſe defendit eā ⁊ liberauit de mani⸗
bus eoꝝ. Et alia vice cū inueniſſet quā⸗
dam mulierē per heremū diſcurrentē ⁊
lamentantē eo ꝙ maritus eius ⁊ filij ex
debito tenerent̄ captiui: ipſe errantē re
duxit ⁊ redemptionē dedit:⁊ pecunias
tribuit quibus maritū ⁊ filios redime⸗
ret. Cum autē Pānutius hortaret̄ illū
vt deſeret mundū:acquieuit: ⁊ factus
religioſus in ſancta vita perſeuerauit.
Iterum poſt hec rogauit Pānutius cui
ſimilis eſſet. Et dictū fuit ſibi ꝙ ſimilis
erat primario cuiuſdam vici qui erat in
ꝓximo. Et cū veniſſet Pānutius ad eū
⁊ diligēter inquiſiuiſſet de vita eius: di
xit ſe eſſe cōiugatū ⁊ vxorē nō cognoſce
re niſi cauſa ꝓlis:nō raptorē:nō leden⸗
tem alios:ſedantē lites:⁊ hoſpitalitatē
ſeruantē. Qui demū vxore mortua hor⸗
tatu Pānutij intrauit heremū:⁊ ſancte
vitā finiuit. Itē tertio rogauit Pannu
tius cui aſſimilaret̄: Et reſponſum fuit
ſibi ꝙ cuidā mercatori qui iuſte lucrās
ſubueniebat pauperibꝰ. Que oīa ſibi re
uelata fuere ne eleuaret̄ in ſuperbiam.
Quis aūt religioſus nō debeat deſpice
re ſecularē vitā vel abhorrere cōſortiuꝫ
cū expedit:non tn̄ debet extra neceſſita
tē ſecularibꝰ nimis familiaris exiſtere:
vel plus debito cōuerſari cū eis. Scđo
ſuperbiunt religioſi ex ſua religione de
pluribus ſe iactāt preferētes ſtatū ſuū
oībus alijs:quinimmo ⁊ alios deſpiciē⸗
tes:⁊ multa mēdacia fingētes ad ſe ex⸗
altandū ⁊ alios deprimēdū. Monachi
quidē gloriātur ſe patrē habere Bene⸗
dictum patrē omniū religioſoꝝ in occi⸗
dēte ⁊ Baſilium in oriēte multoſqꝫ ſan⸗
ctos ac ſummos pōtifices ex monachis
extitiſſe: vt Gregoriū: Nazāſenum: Eu⸗
genium: Urbanum: Petrum: Celeſtinū:
et alios multos optimam partem ele⸗
giſſe: ſcilꝫ vitam contemplatiuā. Predi
catores et minores multa dicunt ſuos
ordines extollendo. Auguſtinū ſumme
venerātur heremitani vt gemmam do⸗
ctorum: induentes cum habitu ſuo: et
canonici regulares habitu ſuo Serui⸗
tute virginis ſe ꝓprios ſeruitores ap⸗
pellant. Carmelite a mōte carmelo ſub
Helia propheta initium habuiſſe ſuſpi
cātur: partem regule Baſilij ſuſcipien⸗
tes. Et ita vnuſquiſqꝫ ſuperbe ⁊ paſſio⸗

nate ſuū ordinē alijs pferre conatᷣ. Sꝫ aduertāt oēs illud qđ dixit Petrꝰ Act. x.c. In veritate cōperi: qꝛ non eſt acceptor pſonarū deus: ſed in omni gēte q̄ timet eū acceptus eſt illi. Notent inſuper illud Hiero. xl. di. c. nō eſt. Nō ſunt filij ſanctoꝝ q̄ tenēt loca ſctōꝝ ſꝫ q̄ exercēt opa eoꝝ. Et illud Greg. eadē diſ. c. nō loca. Non loca vel ordines creatori noſtro nos proximos faciunt: ſed nos ei merita bona ꝯtingunt: aut mala diſiūgunt. ¶ Tertio ſuperbiūt religio in eo ꝙ ſe ſapiētes exiſtimātes ſeq̄ volūt in penitētijs ſenſum ꝓpriū ꝛ ꝓpriā volūtatē. ¶ Quarto ſupbiūt religioſi q̄ gloriantᷣ de diuitijs quas habuerūt in ſeculo: vel de nobilitate generis: ꝛ hmōi. Tertia eſt ſupbia clericoꝝ q̄ quadruplr ſupbiēdo peccāt. Primo in ſuperfluo ornatu veſtiū. Qui audire debēt illud qđ ſcribitᷣ. xlj. diſ. c. clericus. Clericus profeſſionē ſuā etiā habitu ꝛ inceſſu ꝓbet idō nec veſtibꝰ nec calciamētis decorem querat. Qđ ꝯfirmatᷣ. xxj. q. iiij. c. oīs iactātia. c. nullꝰ eoꝝ. c. epi. ꝛ. c. p̄cipimꝰ. Et xp̄s dixit Mat. xj. Ecce q̄ mollibus veſtiuntᷣ in domibꝰ regum ſunt. Scđo peccāt clerici ſupbiendo in ampliatiōe eccleſiaꝝ ſuarū in picturis: ſculpturis: marmoribꝰ: ornamētis: calicibꝰ: vaſis aureis: ꝛ argēteis: q̄ licꝫ ad dei honorē fiantꝛ diuino cultui applicentᷣ: tñ quo ad ſuperfluitates q̄ ibi ſunt: ꝛ ad pauperū neceſſitates repħenſibilia ſunt. Pro quibꝰ. xij. q. ij. c. aurū. Amb. ait: Aurū hꝫ eccl'ia nō vt ſeruet: ſꝫ vt erogetꝛ ſubueniat in neceſſitatibꝰ poſitꝭ. Quid eſt opꝰ cuſtodire qđ nihil adiuuat ꝛc. ibi. Ad qđ facit ibidē. c. glia. ꝛ ibi. §. multi edificant. Tertio peccant ſupbiēdo clerici de audientia ꝯfeſſionū cū hn̄t magnū ꝯcurſum eſtimātes ſe meliores et ſanctiores ꝙ̄ ſint. Quarto ſupbiūt clerici cū vident aut in miſſis aut in p̄dicationibꝰ eccleſias ſuas impleri: ꝛ multis alijs modis inflantur vento ſupbie quos omittimus pro honeſtate. Quarta eſt ſupbia laicoꝝ qui quadruplr ſuperbiunt. Primo de diuitijs. Jō. ſ. Timothei. vj. apl's di. Precipe diuitibus huius ſeculi nō ſublime ſape. Et Aug. Vermis diuitiaꝝ ſupbia eſt. Sꝫ aduertāt illud diuites oēs qđ đr in pſ. lxxv. Dormierūt ſomnū ſuūꝛ nihil iuenerūt oēs viri diuitiarū in manibꝰ ſuis. Secūdo ſupbiūt laici de nobilitate gñis. Vñ Saluſtiꝰ. Cōe malū nobilitatiſ eſt ſupbia. Sꝫ tales ꝯſiderare debent: qꝛ mors ſceptra ligonibꝰ equat: ꝛ moriuntur doctꝰ pariter ꝛ indoctꝰ. Tertio ſupbiūt laici de operibꝰ ex gñe bonis de elemoſynis de ieiunijs ꝛ ſimilibꝰ cū q̄bus cōmiſcent multa pctā mortalia: ꝛ ꝓpter illa bona opa reputāt ſe iuſtos: nō ꝯſiderātes illud Eccſ. ix. Qui in vno peccauerit multa bona perdet. Quarto ſuperbiūt laici erubeſcēdo ceſſare a q̄buſdā pctīs eis cōſuetis: cōtra q̄s diximꝰ in ſermone de dilatione pnīe. Sunt ꝛ alia multa in quibꝰ oēs predicti p ſupbiā offendunt deū. Nos aūt hec pauca diximus: qꝛ alimēta que minus ſufficiūt audiētes ſumuntᷣ: vt ait Grego. di. Ergo patet ex dictis ꝙ q̄ ſe exaltat p ſuperbiā humiliabitᷣ a deo. Et q̄ ſe humiliat exaltabitᷣ hic p gratiā ꝛ ī futuro per gloriā. Amē.

¶ Feria quarta poſt Reminiſcere: de periculoſo vitio ambitionis: de quo xp̄s in euāgelio diſcipulos ſuos redarguit.

Sermo. xxxiiij.

SI quis voluerit maior fieri inter vos ſit veſter miniſter. Mathei. xx. ꝛ in euāgelio hodierno. Reprehenſibile valde eſt atq̄ fugiēdum ambitionis vitium qđ xp̄s redēptor noſter in lectiōe euāgelica terribilr ꝛ ſapiētiſſime cōfutauit. Querebāt nāq̄ iacobꝰ ꝛ iohānes filij zebedei matre mediāte ꝛ intercedēte habere primatū ſup ceteros in regno xp̄i vt vnꝰ ſederet ad dexterā: aliꝰ ad ſiniſtrā. Sapiebāt adhuc aliq̄d terrenū atq̄ carnale credebantq̄ poſt reſurrectionē xp̄m tēporaliter regnaturū. Aliq

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN